

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Heinrich Rudolph Redecker Wulbrandus Adolphus Robbig ab Hallerspring

**Concessione & autoritate Amplissimi ICtorum ordinis in illustri ad Varnum  
Academia Disputatio Iuridica De Cessione Bonorum**

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732603692>


Druck Freier  Zugang



Wiedergabe von Signatur

R U jür 1657.  
Heinrich Rudolf Reckendorf, Pres.  
Wilhelmina Adolphine Rolevigiūs, Prop.

1c



DIRECTORE JOVA

Concessione & autoritate Amplissimi  
I<sup>c</sup>torum ordinis in illustri ad Varnum  
Academia

DISPUTATIO JURIDICA

De

C E S S I O N E  
BONORUM

PRÆSIDE


Viro Nobilissimo, Excellentissimo & Consultissimo  
DN. HENRICO RUDOLPHO

Redefern / U. J. D. Patrono, Fautore ac Ho-  
spite suo, observantiae cultu nunquam intermoritu-  
ræ venerando, publicæ eruditorum  
censuræ

Ad diem 17 Novemb.

In Auditorio Majori exhibebitur  
a

WULBRAND Q. ADOLPHO ROBBIGIO,  
ab Hallerspring Westph.  
Auth.



ROSTOCHII,  
Typis Hæredusni NICOLAI KILII, Acad. Typ.  
Anno 1656.

Amaglio Sa

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock



## Adjuvante Triuno.

Ateriam cessionis bonorum esse utilissimam, frequentissimam quoibusdam valde necessariam, quotidiana forensium negotiorum experientia satis superq; evincit; Cum quidam propter malas nostri ævi conditions, non vitio proprio, sed iniquitate temporum ac fortunæ injuria facultibus ira lapsi sunt, ut eorum bona, ad æs alienum creditoribus suis exsolvendum non sufficiant. Ne autem hi planè pessum eant, ex commiseratione miserabile remedium ac beneficium in obæratori m. favorem adinventum est, quod ipsum paucis delibare animus est. Primo autem omnium Divini Numinis auxilium imploramus, sine quo sapere, despere est, August. in c. 5. meditat. in pr. Imo ut illa bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio, impossibile est c. 25. cauf. 1. quest. I. Igitur à Jove principium est, à Joye finis erit.

### Thesis Prima.

**N**tequam autem rem ipsam aggrediamur, verborum rationē habere debemus. Sciendum autem est, Cessionis vocabulum in jure nostro variam habere significatiōnem: Sumitur enim pro translatione in l. 4. C. d. donat l. 22 C. mandati, pro accessione l. 22 ff. de distractione pignorum, pro Venditione l. 36 ff. de fidejus. Item pro traditione l. 7. C. d. O. & A. l. 39. d. S. P. II. Aut. præsente C. d. fidejuss. §. 3 Instit. d. Usufr. l. 36. ff. de Usufr. Et proinde cessio in juribus incorporalibus tantum operatur, quantum traditio in corporalibus

Frantz. de Evid. n. 50. Gl. in l. fin. ff. de donat. Est autem vel particularis, puta certæ alicujus Actionis l. 7. ff. de distractione pign. aut Nominis, aut Juris l. 23. ff. d. bæred. vel adl. Vend. vel universalis quatenus bonorum collectimi sumptorum estranslatio ac abdicatio, quæ vocis acceptio retinenda, quippe cum proximè proposito nostro inserviat. Inde facile dijudicandum, quid Bonorum appellatio hic contineat: scl. non bonitatem rei internam cui opponitur malum, ut in l. 39. de R. V. l. 5. ff. de usur. §. 37 Inst. de R. D. nec rem specialem ut in pr. J. de Vibon. rapt. Sed totum Patrimonium patrisfamilias l. 52. de A.R.D. l. 16. de V.S. quod nullum onus annexū habet l. 83. in fin. l. 39. §. 1. d. t. inde bona dicuntur quod beent l. 49. d. t.

## II.

Sumtā igitur in hoc significatu voce Cessionis Bonorum, recte definiatur, quod sit Actus legitimus quo debitor obæratus omnia sua bona Creditoribus suis dimittit, ut illorum molestias effugiat Bicc. Rer. Quot. f. 5. θ. 158. l. 7. ff. l. 7. C. h. t. Erat sanè Græcorum tempore obæratorum hominum admodum dura conditio, ut meminit Plutarchus in lib. Polit. ad Trajan. Sumeban- tur à Creditoribus in servitutem perpetuam, ac pro libitu vendebantur. Cujus vestigia quodammodo Jus Lubencense imitatur J. Lub. art. 1. lib. 1. tit. 3. Sed valde durior Romanorum ævo fuit, cum ex constituto l. 12. tab. non vinciebantur, nec verberibus afficiebantur, nec in Vincula conjiciebantur aut in servitute perpetua detinebantur; sed heu! brevissimo laniatu in opis debitoris membra & artus distrahebantur, si nullus emtor inveniretur, sicut nunc bona venum distrahuntur, ut referunt Aul. Gell. lib. 20. cap. 1. & Carolus Sigonius lib. 1. an. i. q. jur. civil Rom. c. 6. Cris. Vol. 4. Decis. 123. n. 1. Rittersb. ad L. XII. tab. cl. 3. c. n. Cothm. V. i. C. 19. Quæ poenæ asperitas procul dubio debitoribus propter violatam fidem contigit cum grave sit fidem datam, fallere l. 1. ff. d. const. pec. & l. 1. ff. d. pat. Ut igitur quid habeant, quod improbis debitori- bus timorem injiciat, nedolo vel culpa, bona in fraudem creditorum intervertant, aut ludendi temeritate facultates perdant l. fin. in pr. C. d. Aleat. hoc poenæ genus à Romanis inventum, ac postea in leges 12. tab. relatum censetur, à cujus legis crudelitate Solonis sanctio, quæ in se continet, ne cui liceat ob usuras in corpus jus habere, abhorret ut testatur Plutarchus in ejus vita in lib. de vitand. usur. à qua deinde Imperator Constantinus non recessit, sed illam corroboravit in l. 2. C.

de Exact.

*d. ex ad. tribut.* Imo Dioclet. & Maxim. luctuosum credebant, *¶*  
ob æ alienum liberi homines servirent *l. n. C. d. O. & A.* Atq; adeo etiam  
debitorum nexorum conditionem sustulit, quæ post *LL. 12. tab.* in usu erat  
*Conan. l. 4. comm. c. 14. n. 7. raf. l. 1. b.* Attamen propter obdurata  
decoctorum fraudem, ut crescentibus delictis, poenæ exasperentur  
*l. 28. §. 3. de pœn.* rigor antiquæ legis, in totum planè non obliterated  
est, sed vestigia in quibusdam locis remanserunt, ut ita metu poenæ  
deterreantur. In Gallia sic procedere moris est, ut Subjectus Regi,  
ex condemnatione tegmen viridis pilei instar reporter, ex quo aspici-  
entibus innotescit, cuius conditionis homo obveniat: Quemadmodum  
apud Romanos in usu fuisse legimus, illos ex calumnia damnatis ma-  
gnum K. frontispicio capitis inuri consuevit, veteres enim  
calumniam per K. scriebant, ut exinde quoq; unicuique clarum  
fieret, quomodo hic habendus, quem formosa frontis Inscriptio de-  
monstrabat. Videatur mihi semper venerandus Patens in *Cod. suo critico ad hanc literam.* Qui vero Regi subjectus non est, sed extraneus  
carceris poenam subeat, necesse habet. Vid. *Mornac. ad l. 28. ff. ex qui-*  
*bis caus. Maj.* & omnino *Gotostr. ad Nov. 135. lit. f.* ubi & Flandros ita  
agere refert, quod, etiamsi sit indigena, nisi certis conditionibus juxta  
constitutionem Caroli V. latam Anno 1541. hoc ipsum specialiter Im-  
petraverit, non ad Cessionem bonorum admittendus sit, *Gudelin. de Jur.*  
*Nov. lib. 4 c. 16.* Apud Hispanos ita receptum esse testis est *Corarr. lib. 2*  
*variar. resolut. c. 1. n. 5* quod debitores non admittantur ad Cessionem,  
sed excussis bonis ne otiosi vagentur, creditoribus traduntur, ut ope-  
ris ac servitiis suis juxta judicis arbitrium satisfaciant. Plura apud  
remotiores populos extra Germaniam positos circa hanc materiam, ra-  
tione ritus constituta, Vid. penes *Menoch. d. arbitr. jud. quest.* & *Bru-*  
*nun. d. Cess. bon. quest. 3. n. 3. & seqq.*

in Germania quoq; duritiem *l. 12. tab.* non plane esse submersam  
constat, cum in terris Saxonæ contra debitores ad carceris condemna-  
tionem procedatur *Carpz. in iuriupr. forens. part. 2. confit. 22. definit. 1. 2*  
Imo in provinciis Saxonæ extra terram Electoralem dantur, ut eos  
creditores compedibus & vinculis teneant inclusos, servitiisq; eorum  
ramdiu utantur, donec vel his, vel alia via debitum sit exsolutum.  
*Landtr. lib. 39. art. 3. Zang. d. except. p. 3. c. 1. n. 142.* Coler. d. process.  
*Execut. part. 1. c. 3. n. II. Carpz. P. 2. C. 22. d. 1. Christoph. Zobel part. 2.*  
differunt. *30. num. 6. & 7.* Quod ipsum ut in Hispania & Saxonia, ita  
etiam.

etiam in quibusdam Germaniae Emporiis usu observatur, ut ex *statutis*  
*Hamburgensium* part. i. tit. 43. Von Vancorottien und furchtigen  
Schulbenern, und wie gegen ihre Personen / und Güter gehandelt  
und procedirt werden soll / & tit. 41. §. II. konte der Kläger & §. 13.  
würde aber der Gläubiger / & Lubecensium part. i. tit. III. art. 1. ubi *Mer.*  
*n. 13.* à quo non recedit Rostochiensium. ut ex tit. 23. §. 2. Sondern sol in der  
Gläubiger gefallen stehen &c. Ut etiam Sereniss. Ducum Mechlenb. con-  
stitutio Provincialis par. 2. tit. 45. d. cessione bonorum, quæ eo porrigitur  
ut etiam ux or falliti carceris squalorem ac injuriam haud effugiat, si mo-  
dò decoctionis fuerit partieps, hac enim mulier, quoniam probæ uxoris  
nomen perdidit, dum maritum dehortari debuit, ne ejusmodi inuti-  
les sumptus faciat, ipsa vero ita subintrat, ut Satrapes sumptus ejus suf-  
ferre nequeat, utilla apud Terent. Heaut act. 3. sc. 1. & ita rectè tempe-  
stas domus, imo totius fundi calamitas vocatur, propterea ex post  
facto unâ cum marito, ut incommodi quid sentiat, non est iniquum  
*arg. l. 10. ff. d. R.I.* Plura in diversis locis citra hunc procedendi mo-  
dum sunt statuta, attamen ut plurimum diversa, quæ hoc referre-  
tum temporis, tum instituti nostri ratio hac vice non patitur

### III.

Sed ut in thesi præcedente dictum est, ejusmodi pœnæ genera ex  
l. 12. tab. descendantia, fuisse valde dura, imo auditu horrenda, quæ  
Lex Julia l. 4. C. b. t. primum mitigavit, & Justinianus postmodum eo  
deduxit, ne plane corpora hominum creditæ summæ subjaceant sed ut  
horum bona universa tamen creditoribus sint obnoxia in l. ult. C. qui bon.  
ced. poss. quapropter cum in favorem inventa sit cessio bonorum, eam  
diximus esse actum, quo succurruntur debitoribus, ne carceris injurias  
aliquæ incommoda & molestias sentiant. Actus a. vocabulum late  
patet l. 19. ff. d. V. S. & ibi Arnold. Corv. l. 5. de R. J. l. 5. rem. rat. hab. Ideoq;  
& factum cessionis bonorum rectè complectitur. Dicitur quoq; in  
quibusdam juris textibus auxilium & beneficium l. 1. 4. & 8. C. qui bon,  
ced. poss. sed fleibile, lamentabile ac miserabile l. fin. C. d. t. cum per id  
cedens bonis ad id perducitur, ut panem ostiatim, aut honestis ma-  
nuum laboribus querere cogatur, nisi fame velit perire, ut haud in-  
concinne refert Matth. Coler. In process. execut. p. 1. c. 10. n. 123.

### IV. Vide-

Videat autem nunc quibus hoc beneficio succurritur; Ubi sciendum est, cum Cessio sit actus talis, quo miseris, non dolosis consultitur *l.fin. ff. qu. in fraud. credit.* Brun in tract. d. Cess. bon. quest 4. in pr. & quest. s. num. 3. Itaque his qui dolose in re aliena versati sunt, competere non posse, nam dolosus ipso jure perdit sua privilegia, à jure ac LL. sibi indulta *l. 2. §. 3. ff. ad Sctum Velleian*, neque damnum sentit, cum sua culpa sentiat *l. 203. ff. d. R. l.* uti ex thesi subsequenti videre est: sed iis qui non vitio proprio, sed in fortunio ad incitas redacti sunt; Eorumque hereditibus ac successoribus, quia in defuncti jus succedunt *l. n. ff. d. divers. temp. prescript.* & unam personam cum defuneto representant *l. fin C. de impub. & al. substitut.* sive sint patres fam. sive sint filii famili, non tantum masculi, sed etiam feminæ *l. 7. C. h. t. ibi.* utriusque sexus Christin. V. 4. dec. 123. n. 6. Mulier tamen incarcerated nequit ex *Auth. hodie novo jure C. d. Custod. reor.* Quod, an etiam de muliere pro tutela administratione obligata, facta renunciatione SCti Vellejani, & omnis legum auxilii *Auth. matri & avie C. quando mat. tul. off. fung. potest. ubi & Bart.* ratione incarcerationis sit sentendum, nec ne, in ipso discursu mentem nostram pluribus aperiendi forsitan dabitur occasio: Ubi de jurata Cessionis renunciatione, propter connexitatem materiae, animum declarabimus. Sed quoniam modo diximus filium fam. cedere bonis posse, videndum est, quibus bonis possit cedere, nos cum *Bach. ad Treutl. vol. 2. disp. 24. th. 4. lit. D.* etiam in profectiis hoc procedere statuimus ex *l. 7. C. b. t. ibi quod patre volente possident*, quæ verba necessariæ ad profectitium peculium restringenda sunt; de bonis enim Castrenisibus vel adventitiis, in quibus filius fam. pro patrefam reputatur, separatis egit justianus in pr. d. l. ibi, quæ patribus acquiri vetitæ sunt, Imo quamvis haec bona non filii, sed patris sint; Nam quod filius nullatenus patri præjudicare possit, cum liberi nostri & natura & jure civili nobis dentur ut prosint, non vero ut noceant *l. 133. ff. d. R. l.* Id nos extra causam peculii intelligimus: cum illa concessio peculii filios fam. facta à patre tacitam in se contineat contrahendi permissionem, ex qua pater peculio tenus obligatur. Dicendum igitur est, etiamsi peculii proprietas sit patris, ut in prosectorio; vel ususfructus penes patrem ut in adventitio, ut illa sine patris licentia voluntaria alienari non possit *l. ult. S. filii C. de bonis quæ liber, attamen quoniam subest necessaria causa pro-*

propter quam sit alienatio; ne sc. Executionem filius patiatur, & si non cedat, carceri mandetur vid. *gloss. & Dd. comm. ad l. pen. C. h. t.* ratione horum bonorum valere cessionem dicimus; Accedit denique quoniam diximus ex contractu filii de peculio obligari patrem, etiam eundem eo magis ex sententia teneri in qua quasi contrahitur *l. 3. s. 11. ff de peculio* maxime si filius in judicio condemnatus a patre defensus fuerit  
Vid. *Brun. in tract. d. cess. bon. quæst. 4. n. 4.*

V.

Diximus modo de patrefam. quod bonis cedere valeat, quid si vero contingat illum nihil in censu (h.e. in bonis, arg. *l. fin. C. d. jure delib. Briss. h. v.*) habere: An nihilominus cedere possit, controvertitur? Quod nos affirmamus, scilicet fieri posse ratione Spei, quippe cum in futurum aliquid acquirere possit. Vid. *gloss. ad d. l. pen. C. h. t.* & *V. V. E. S. E. N. B. in π. ad h. t. n. 3.* *Christin. d. d. n. 6.* & ne afficiatur in iuria, juris benignitate ipsi hoc beneficium cessionis conceditur. Sunt vero quædam personæ, quæ hoc cessionis remedio uti non habent necesse, propter Beneficium, Competentia, ut Marit⁹ qui tam constante quā dissoluto matrimonio, si ab uxore conveniatur, non nisi in tantum quantum facere potest condemnatur *l. 37. Inst. de att.* & *l. 12. ff. Solut. Matrim.* nisi dolose in re dotali versatus fuerit, tunc enim plenaria executioni locus est. Idem privilegium mulieri ex æquitatis ratione, si maritus adversus eam agat concessum, est *l. 20. ff. de re jud.* Sunt præterea & alia personæ hoc privilegio munera, puta Sacer siâ genero de dote conveniatur *l. 15. ff. Solut. matrim.* & *l. 21. de re jud.* Parens, Patronus & liberie ius *l. 30.* & *l. 17. ff. de re jud.* His enim personis merito a liberis ac libertis debita reverentia, honor & observantia est præstanta, quæ utiq; illos in solidum condemnari non patitur; Idem in socio propter fraternitatis jus quod in inter se colere videntur, observatur *l. 16. ff. de re jud.* & *l. 63. in pr. ff. pro soc.* ut & inter fratres, licet *Schneidervinus* aliter sentiat; Si enim illud beneficium inter illas personas reperiatur, ubi solum imago fraternitatis apparet, quidni & ubi vera non ficta adest, propter unumquodq; enim aliquid tale est, id magis tale est, ut recte statuunt philosophi. & *J. C. t. Auth. multo magis ubi DD. C. de 88 Eccles. D. Tabor ad Barbos.* *l. 18. c. 3. axi 3.* Donator quoq; si forsitan ex donatione pura ac simplici, quæ nullo urgente jure nec propter causam aliam facta est, quam ut quis liberalitatem exercet conventus fuerit, gaudet hoc privilegio

gō l. 41. l. 50. de re Jud. secus vero si ob causam facta sit donatio l. 19. §. 1.  
§. fin. de donat. junct. l. pen. d. l. D. quia quod ob causam datur, potius est  
permutatio; in permutatione vero hoc beneficium, quod compete ntiae  
vocantur Dd. non habet locum. Milites propter causam publicam hoc  
gaudent beneficio p. l. 18. ff. de re jud. Carpz. p. 1. c. 32. defn. 5.  
Sunt & aliae personae quibus hoc medio succurritur, quas huic referre  
pagina non permittit.

## VI.

Sed de Clerico lubet quædam annexere & inquirere, quatenus  
& ille bonis cedere possit: Quidam negant; Nos ipsi beneficia à jure  
concessa non deneganda putamus, extat enim expressus juris Canonici  
textus in c. Odoardus 3. d. Solut. Esse autem cessionem bonorum bene-  
ficium, comprobat l. pen. C. b. t. ad quod debitores omni alias desti-  
tuti auxilio, velut ad sacram anchoram confugere solent. Coactam,  
vero cessionem nos non valere statuimus in illo Clerico, qui majori-  
bus ordinibus sacris insignitus est, puta qui altari ecclesiae proprio mi-  
nisterio inservit, non vero in illo Clerico, qui minoribus ordinibus tan-  
tum est condecoratus; Hic enim quantum ad hoc beneficium spectat,  
laico haud impar censetur. Et quamvis universitates & collegia regu-  
lariter etiam cedere bonis possint, ut nota t Peretz in C. h. t n. 4. Attra-  
men sunt quidam Dd. qui de Ecclesia dubitant, num & illa bonis cede-  
re possit, quorum in numero & Brunus invenitur in prædict. tract. que fl.  
2. n. 1. qui plures pro suā sententiā autores allegat, propterea, quia  
causa propter quam si inducta, puta incarceratione l. i. C. h. t. deficiat; Sed re-  
spondendo. Nos hic aliam causam ac finem Cessioni subesse dicimus,  
nimirum quoad fieri possit satisfiat Creditoribus & debitor ab im-  
portuna creditorum molestatione immunis fieri queat. Ideoq; non una  
cessionis est causa, sed multiplex, quemadmodum unius rei plures si-  
nes esse possunt, ut si unus deficiat, ad alium possimus confugere,  
Imo plura si Impedimento sint, uno remoto, reliqua nullatenus tol-  
luntur Gail. 2. Obs. 65. n 7. & quamdiu importuna creditorum durant  
flagitationes, cessioni locus est. Cardin. Tuscb. lit. C. Conclaf.  
144. n. 7.

## VII.

Sunt & præterea personae, quibus etiam volentibus cesso dene-  
gatur, ut mercatores falliti, qui alias banqueruptores vocantur Germ-

B

Ban.

Banderotirer verdorbene Kaufleute/ Leut. Vetriger Besold. Th. Pr.  
voce Banderottirer. Hi enim quia sua culpa bona amiserunt, ad  
cessionem non admittuntur: Cessio enim est subsidium miserorum  
non vel o dolo forum, quia dolus nemini prodesse: sed obesse debet  
l.fin. §. fin. ff. que in fraudem. Credit. alien. & ibi gloss. & Bart. quod in  
tantum extenditur, ut planè talis se literis moratoriis indignum faciat,  
literæ vero moratoria vulgo Quinquerell R.I. de Anno 1548 & Anno  
1577. sub tit. von verdorbenen Kaufleuten, conceduntur vel à Principe  
vel majori Creditorum parte, iis, qui malignante fortuna ad incitas  
redacti sunt: Creditores enim possunt debitibus debiti portionem  
plane remittere l.7. §. 19. ff. d. paci. Ergo & solutionis tempus protoga-  
rate. VVechnr. pr. obs. verb. Anstand Brief Matth. Steph. de Juris. l.2. p. 1. c.  
z. n. 252. cum ei, cui magis licet, potest quod minus licet, etiam licere,  
l.1. s. 4. ff. v. O. & l. 21. ff. de R.I. l. 176. §. 1. & l. 110. ff. d. t. Imo non tantum in  
debitorum: sed & in ipsorum creditorum gratiam induciæ concedun-  
tur, & nihil interest, quod quidam inveniuntur, qui plane commisera-  
tionis affectu non ducentur, major enim pars hic minorem ad se trahit  
imo minor pars cogitur de jure majori consentire, quod si nolit, prin-  
ceps vel Judex competens autoritatem interponit ad eliciendum reli-  
quorum creditorum consensum l. fin. C. h. s. Habent vero induciæ  
certum tempore præstitutum d.l. fin. C. h. t. quod si fuerit elapsum, nihil omi-  
nius ad cessionem admittuntur debitores: sed videbatur dicendum quod  
non; Quippe cum h.m. debitori daretur ex voto suo progressus ab uno  
ad aliud refugium, qua via Creditores, qui dilationem hanc concesse-  
runt, facile deciperentur. Quemadmodum disputat VVechnr. d. l. Hering.  
de fidei. c. 5. n. 126. Zaf. ad l. ult. C. h. t. Sed nostra sententia cum sit suffulta  
æquitate, nobis magis arridet; Ille enim à beneficio ipsi à LL. concessa  
minime arcendus est, qui omnes suos conatus eo impedit, ut acquirat  
unde Creditoribus suis debitum persolvat, sed cum novercante,  
ac sinistra sorte, post tempus in literis concessum elapsum, idem qui  
fuit inops inveniatur, itaq; non potest hic in carcerem detruidi, cum pro-  
pter fortunæ inhumanitatem nemo se ad carcerem obligare l. 2. C. d. ex-  
act. trib. neq; fraudis argui possit, quia fecit, quod potuit. Quinimo in-  
duciarum concessio propterea non est inventa, ut cuiquam Cessionis  
beneficium adimat, sed potius, ut debitor minori cum dispendio ac ja-  
ctura omnium rerum suarum satisfaciat l. fin. C. h. t. si itaq; fortuna, ut di-  
ctum

**Atum est, si p[ro]p[ri]o nō arriserit, beneficium Cessionis bonorum huic nō est ad imendūm Perez. in C. h. i. n. 25. quam sententiam etiam usus Galliae approbavit. Christin. V. 4. decis. 123. n. 17.**

VIII.

H[ab]e[re] ita delibatis, in Cessionis objectum inquirendum est, ad quod totam subitantiam h[ab]e[re] omnes debitoris res ac bona referimus quae possidet, usq[ue] ad ultimum quadrante[m] Zas. in l. pen. ff. de cess. bon. Tholos. I. 22. Synt. Jur. c. ii. ad quod requiritur inventarium bonorum, & de super jumentum Hering. de fidei. c. 5. n. 81. Umm. ad Proc. Judic. D. 23. §. 5. n. 26. VVesen. in π, b. t. n. 4. qui enim pro parte bonis cedere velit, non audiendus est, dum quædam celat omnia reliquissimæ non dicitur Bart. in l. i. C. b. t. Imo qui celat partem, hic se ipsum Cessionis beneficio privat, ut putant Bald. in l. i. fin. C. b. t. Carpov. in Asyllo debit. c. i. §. 43 n. 164. Perez. in C. b. n. 17. Verum ex æquitate naturali, quamvis non alimentum, tamen cedenti indumentum relinquitur, ut ad mortem damnato, quamvis huic omnia bona olim ablata, ac visco addicata, tamen vestem quæ indutus erat retinebat l. 6. ff. d. bon. damnat. Sic & huic, ne nudus victima queratur, quod sane esset contra pudorem ac honestatem, ideo vestis relinquenda est Cyn. l. i. b. t. arg. l. 6. ff. de pign. Peck. de Jur. sif. c. 45. n. 19. Hahn. ad VVesen. b. n. 4. Sed quænam in principio hujus th. diximus, materiam sive objectum esse omnia bona ac res debitoris, illud ipsum jam restringimus ad illa b[on]a omnia, quæ in obligationem deduci possunt, & quæ alienari non sunt prohibiti, nam interdum quædam possidemus ut domini, quorum alienatio nobis non est licita, quod eleganter Seneca lib. 7. de benefic. c. 12. hicce inuit: non est argumentum, ideo aliquid tuum non esse, quia vendere, consumere, mutare, in melius aut deterius nequis; Tuum enim est, quod sub certa lege tuum est. Si igitur bona feudalia, emphitevtica, usurafructum aut similia debitor possideat, quæ pleno dominii jure ad illum non pertinent, haec neq[ue] in totum neq[ue] pro parte Creditoribus suis cedere potest, Imo haec cessio est alienatio, quæ ratione feudi & similius est prohibita tit. 52. & tit. 55. feud. i. succedit, quod feudi proprietas facta investitur, semper Domino maneat salva § fin. tit. 8. feud. 2. Itaq[ue] non potest Domino proprietatis Jus sine facto suo auferri l. n. ff. d. R. I. hoc refero Gunteri ex libro s. versus.

Si quis habens feundum, pretio seu vendere totum  
Seu pro parte velit, Dominiq[ue] licentia desit

B 2

Seu

Seu dare seu vadio supponere cogitet illud  
Qui dedit amittet , nec qui suscepit habebit.

Potest tamen debitor horum bonorum commoditates , quæ non in jure  
merè personali , quod personā non egreditur , & propterea extraneo cedi  
non potest l. 42. de admin. & perit. tut. l. 8. §. ult. ff. de pericul. & commod.  
rei vend. Sed reali consistunt ; Creditoribus , quoad ille vixerit , in solutum  
cedere l. 66 ff d. jure dot. & l. 67. ff. de usufr. quia illa quæ plenē acquiri non  
possunt , acquiri tamen possunt quoad commodates & accessiones l.  
8. §. fin. ff. de pericul. & commodo rei vendit quid enim Interest Dominō , num  
Vassallus Emphiteyticarius , vel Usufructuarius ipse , num aliis fructus  
percipiat , dummodo jus proprietatis ipsi maneat salvum , quo post mor-  
tem usufructuarii pleno jure uti incipiatur l. 26. ff. de Servit. prædior urban.  
arg. l. 8. in fin. ff. de per. & Comm rei vendit. Hodierna quoq; consuetudi-  
ne receptum esse testatur Gail. lib. 1. Obs. 112. n. 2. & lib. 2. d. p. p. c. 12. n. 16.  
quod Immissio in bona feudalia fieri possit , ita tamen ut creditor tamdiu  
commodates percipiat , & Immissio & Executio vim ac effectum ha-  
beat , quamdiu duret jus Vassalli , quod morte ipsius extinguitur VVeserh.  
in π. n. 5. d. reb. aut. Jud. poss. Cothm. V. I. C. 2. n. 31. Si itaq; mortuo Vasallo  
debitore , non plenē ex fructibus perceptis Creditoribus sit satisfa-  
ctum . nihilominus feudum & ususfructus ad Dominum vel ad Agnatos  
natura redit. Soluto enim jure dantis solvitur & jus accipientis l. 31.  
ff. d. pign. & hypoth. & l. 69. §. 1. ff. de legat. 2. Perez. in C. h. t. n 19. Carpz. p. 1.  
Conſt. 32. def. 21. Berl. p. 2. c. 82. nisi forte Dominus feudi in oppignorati-  
onem conſenserit Hahn. ad VVes. n. 4. aut conſuetudo Provinciæ id  
permiserit Schepelitz in confv. March. p. 4. t. 8. §. 5. Quæ conſuetudo  
etiam in hoc Ducatu Mechlenb. obtinet ; Ut scl. deficientibus bonis  
allodialibus , ex feudalibus creditoribus satisfiat , ut docet Cothm. V.  
3. Conſ. 18 Lindem. Exerc. Feud. 3. c. 8. 1b fin.

## IX.

Per illustrato paucis objecto , ad formam cessionis bonorum trans-  
gredimur , quæ explosa veterum scrupulositate , est ipsa voluntatis de-  
claratio l. 6. C. h. t. judicialis vel extra judicialis l. ult ff. h. t. Christin Vol. 4.  
decif. 123. n. 4. additis quibusdam requisitis , & alienum conſentis &  
bona sua creditoribus offerentis d. l. 6. Calvin. in π. b. t. 22mm. diff. 23. §. 5. n.  
26. Treutl. V. 2. D. 24. §. 4. L. E. ubi Bach , in tantum ut non opus sit , cesso-  
nem

nem bonorum à principe vel à judice de novo impetrari arg.l. unic C.  
de thes.l. s.C.de oper.nov.nunc quod quidem speciali constitutione in Bel-  
garum curiis observatur Gudelin.de jur.noviss.l. 4.c.16. Interim de jure  
civili sàpissimè apud judicem de hac materia necessario agendum est,  
cum quidam, de quibus 9.7. differuimus, cessionem prætendant, credito-  
res vero illam negent, tunc judex interveniat, necesse est, qui sua sen-  
tentia, an ipsi competat nec ne, declarat. Cessio tamen ipsa, nuda vo-  
luntate etiam extra judicium fieri potest Zaf.in.l. pen. ff.b.t. 2mm.ad  
process.D.23.n.26. ubi tamen probè observandum, quod is qui dixit se  
velle cedere, re integrà ad hoc pœnitere possit l. s. ff. b.t Perez. in C.b.t.  
n.2. Requisita Juris civilis sunt 1. ut, debitum sit liquidum, h.e.con-  
fessum vel Judicatum l.pen. ff. ubi Zaf. Gl. in l.1. C. b.t. 2. ut debitor ju-  
tet se omnia bona cedere, nec ulla reticere, atqui adeo non esse sol-  
vendo N 135.c.1. ubi Gl.

## X.

Diversarum tamen Gentium mores, quemadmodum jam aliquoties diximus, varie discrepant: Transylvani enim in Cessione pro consuetudine observant, ut Cedens bonis nudus in publicum vadat, & nates ter ad lapidem percutiat, vociferando, Cedo bonis. De qua consuetudine mentionem facit Bald. Conf.301. ad evident. vol. 5. Romæ quoq; ita observari Legimus apud Cyn. in l.1 C. b. t. ut cedere volens leonem marmoreum, qui non procul ab ipso Capitolium me positus est, ascendat, & proprio motu nates percutiat, dicens, cedo bonis, quod & Papiæ fieri fertur. In Gallia sufficit, ut debitor in iudicio discinctus, aperto capite profiteatur, se non esse solvendo Perez in C.b.t. n.2. Deinde discedit, ut in 9.7. notavimus, aliis vero in locis aliud, quoad hunc pro-  
cedendi ritum observatur.

Nos plura de his ritibus hic referre supervacuum esse ducimus; Sed hoc jam in questionem trahimus, an ejusmodi locorum statuta ac consuetudines indistinctè contra eos, qui non propter malos mores, sed contraria fortuna observati, cum alias sint homines frugi, & bonæ existimationis, cedere coguntur, valeant? ubi si ad principia juris recurrimus, omnino dicendum est quod Non: Quippe cum sint partim in humanæ, & bonis moribus contrariantur l.39. ff. de LL. Imo res mali ac turpis exempli exinde deducitur, per quod oculi spectantium infestantur l. 12. C. de re. milit. Est itaq; fœda ac infructifera solennitas, quæ creditoribus nihil utilitatis affert, cum, & alias cesso-

de jure civili nuda voluntatis declaratione fieri possit l. pen C. & l. fin ff.  
h.t. uti Ø. præcedente dictum est, itaq; durum esse videtur debitoribus  
ad flebile cessionis adiutorium configentibus, ignominiosam addere  
afflictionem, quippe quod à pietate, humanitate, misericordia & Chri-  
stiana dilectione alienum foret Cothm. V. i. cons. 19. n. 10. & planè contra  
Nov. 135 quæ vetat debitorem fortunæ calamitate, & injuria lapsum  
ignominiosâ cessione affici

XI.

In Germania ad hoc, ut cessio bonorum cum effectu procedat,  
ut plurimum in curiis hæc requiri testis est Mevius ad J. Lub. lib. 1. tit. 3. n.  
20. & seqq. (1.) ut de debitoris inopia constet, & creditores molestiis in-  
stant; est enim cessio ultimum debitorum refugium, ad quod illi  
antequam à creditoribus molestantur configere non tenentur & tunc  
illud petere debent Decian. respons. 81. n. 22. Vol. 4. (2.) ut debita sint li-  
quida, ob quæ sit cessio, debitorq; omnia designet & judicialiter produ-  
cat, alias in fraudem facta censemur l. pen. ff. h.t. Brun. in tract. de cess. bon.  
queft 2. prin. n. 1 Zaf. ad l. pen. ff. h.t. (3.) ut cedentis creditores convocentur  
ad liquidandū, & de cessione permittenda agendum: Quæ convocatio  
instituitur ut plurimum, pro judiciorum stylo trinis citationibus, qua-  
rum prima & secunda dicuntur simplices, tertia vero peremptoria,  
qui hanc præterlabi patitur, juri suo renuntiasse videtur; jura enim vi-  
gilantibus sunt scripta, l. 24. ff. qui in fr. cred. quæ si semel fuerint extin-  
cta, amplius non reviviscunt, dummodo ad notitiam creditoris hæc  
ipsa pervenerit; Et quamvis Umm. Dijib. 23. ad processus n. 26. putet quod non  
sit necesse, ut omnes creditores vocentur, tamen Ord. Mechlenb. p. 2. c. fin.  
vers. datauff. contrarium probat. (4.) ut debitor inopiam eamq; fatal-  
em esse ac novercante fortunæ accidisse doceat Cothm. cons. 19. n. 31. &  
seq. vol. 1. (5.) & omnia bona sua usq; adultimum quadrantem ut lo-  
quuntur Dd, indicet & indicata relinquat gloss. & Zaf. in d. l. pen. ff. h.t. qui  
enim quedam subtrahit, & non confitendo celat, is hoc beneficio indi-  
gnus censemur Salic. int. 1. C. h.t. confessio vero ut dicitur in ult. ff. h.t. judicialiter  
vel extrajudicialiter fieri potest, priori casu, quando debitor post  
item contestatam debitum fatetur, confessus in jure pro judicato cen-  
setur l. 26. ff. de re judic. & l. 1. ff. de confess. posteriori casu, quando extra  
judicium debitum non abnegat, adeoq; ad cessionem paratus est, tunc  
facit hæc cessio, ut ex postfacto litis contestationem impedit, & per  
modum

modū exceptionis ad processum impediendum opponi possit per §. 3. *Ita fit de Except.* Ex stylo tame curiae ut plurimum judicialis requiritur designatio ac confessio, ad quam solet exigi inventarium & traditio libris, rationum *Mevius d. Loc.* (6.) item & juramentum, quod præter confessata, & indicata bona ipsi nihil sit reliquum *Hering. de fidejuss. c. s. n. 81 & seqq.* quomodo autem in hac provincia in forma juramentum præstatur *vid. Ord. prov. Mechl. p. 2. c. fin.*

### XII.

Porro (7.) in hac cessione, de soiendo residuo ad minimum Juriatorie aut recompmissionis nudæ cautionis præstatio requiritur, si ad meliorem fortunam pervenerit: Nam quāvis cessio cedentem liberat à carcere, non tamen eundem liberat plane ab obligatione, quapropter creditores ut securiores reddantur ratione residui hæc exigitur, quomodo vero hi reliquatores uti vocantur *in l. 9. §. 2. de publ. rectigal. & l. 102. §. 2. ff. de solut.* residuum exsolvunt extat *in §. ult. Inst. de act.* putā sit condemnatio non in solidum, sed in quantum facere possunt, ita ut maneat idoneum emolumenatum, quod, quale sit, judec pro personarum qualitate, rerum ac temporum varietate æstimare debet *Vid Mynsing. ad d. §. ult. Inst. de Act.* inhumanum enim foret, spoliatum semel fortunis in solidum damnari; nisi cessione facta creditor docere possit, debitorem in fraudem creditorum ita alienasse, ut aut plane non aut difficile recuperari possit, hoc casu, quoniam dolum commisit, merito in solidum tenebitur *ex l. fin. §. fin. ff. que in fraud. cred.* Nam si ab initio de dolo constitisset, ipsi cessionis adjutorium denegari debuisset (8.) judicialiter omnia sua bona creditoribus cedere tenetur. *Ord. Mechl. p. 2. c. fin.*

### XIII.

Reliqvum jam est, ut de causa finali, & effectu cessionis Bonorum agamus. Cum autem, si rem accuratius intueamur, cessio tantum in favorem debitorum sit *introducta Bach. ad VVesenb. n. 6.* quorū uxilium ac beneficium dicitur *l. fin. C. h. t.* Finis etiam cessionis bonorum Principaliter debitoris comodum respicit, scilicet ut carceris injurias ac squalorem per beneficium cessionis evitet, & si forsitan carceri inclusus sit, dimittatur; deinde ut facta cessione à molestiis, quibus à creditoribus attentis ultra modum sèpissimè vexantur, debitor sit liber *l. 6. C. h. t., ubi Dd. Calvin. & VVesenb. in 2. h. i. n. 6.* consequitur enim cedens

dens exceptionem: si bonis cesserit §. fin. *Instit. de replicat.* Anton. Fab.  
*Cod. Sabaud.* l. 7. t. 31. def. 2 n. 6. quam, si conventus fuerit, & nihil sive  
modicum acquisierit opponere potest §. ult. *Instit. de action.* hanc tamen  
exceptionem Fidejussores opponere haut possunt §. 1. *Instit. de replicat.*  
cum finis fidejussionis hic sit, ut creditores sibi eo tutius de credito  
prospiciant, quod si principalis solvendo non existat, ad fidejussores  
detur regressus §. fin. *Instit. de Fidejuss.*

XIV.

Effectus etiam varii sunt, tum respectu Debitoris, tum respectu  
creditoris. Illius, sel. (1.) dissolvit societatem ita ut cedens cum sociis  
non amplius jure societatis fruatur; egestas enim societatem perimit l.  
4. §. 1 ff. pro socio (2.) adimit cedenti jus debitores suos conveniendi, ita  
ut nequeat agere cū suis debitoribus l. 17. *de recept.* & ibi gloss. quia omnia  
bona tenetur cedere ad extreum usq; teruncium *Cristin.* V. 4. dec. 125.  
n. 15. (3.) solvit etiam compromissum; nam si unus ex litigatoribus bo-  
nis cedat, arbiter non potest cogi, ut dicat sententiam: qualis enim  
esset sententia contra illum, qui nec agere, nec conveniri posset d. l. 17.  
*de recept.* (4.) conservat cedentis famam: quippe cum hic nullum  
delictum sit, propter quod infamia inferri debeat, & quantum is qui  
autoritate judicis in carcerem detruditur infamis non efficitur, nisi ob  
poenam explorati criminis l. 1. & 14. ex qui 6. caus. in fam. firrog. Perez. ad  
*Cod. h.t.n. 22.* ergo non ob cessionem, cum beneficium non debet esse  
perniciosius suā causā Perez. *de loc.* Imo textus sunt expressi, quod ta-  
lis cedentis existimatio non extingvatur per l. 11. C. ex q. b. caus. infam. ir-  
rog. & l. 8. C. qui bon. ced. poss. Alias enim personæ, quæ in jure dicun-  
tur miserabiles, ignominiosæ habendæ essent Bach. ad Treutl. vol. 2 disp.  
24th. 4. lit. A & B.

Effectus à parte creditoris (1.) est ut quoad fieri potest, satisfiat credito-  
ribus, non quod dominium transferat cedens in creditorem' contra l. 3.  
ff. & l. 4. C. h. t potest enim debitor, si solvendo postea existat res suas an-  
tequā venduntur recuperare per d. l. 3. & 4. creditor vero instare potest,  
ut bona curatore dato distrahanter per d. l. 4. C. h. t. *Umm. Disp. 23. ad Pro-  
cess. 26. VVesenb. in π. h. t. n. 6. (2.)* Cessio ipso jure obligationem neq; ci-  
vilem neq; naturalem tollit, Perez. in C. h. t. n. 15. sed tantum ope exce-  
ptionis

ptionis cedens se tueri potest, donec postmodum ad piguiorem fortunam pervenerit, quam judex æstimabit l. 6. ff. b. t. non equidem ex qualitate annorum reddituum Zaf ad l. 4. ff. b. t. n. 6. 7. nisi plus sit in qualitate seu valore rei, quam in quantitate proventuum n. 9.

XV.

Inter affinia Cessionis bonorum apte referre possumus Traditionem, nisi quod per hanc transferatur dominium §. 40. Inf. d. rer. divisi. & l. 20. C. d. p. a. t. per illam vero non: ut ex thesis præcedentis declaratio fusi patet. Item Actionis Cessionem huc spectare dicimus, quatenus actiones aut nomina justo titulo præcedente, legitimè in alios transferuntur, de qua th. i. quædam pròlata sunt. Deniq; his annumeramus bonorum in solutum dationem, e. c. cum quis prædia quædam habeat, quæ emptorem invenire non possunt, dantur creditoribus in solutum Nov. 4. c. 3. Si enim non sit Auth. hoc nisi C. de Solut. Sed illa, quæ Creditoribus meliora videntur, facta per judicem subtili cause æstimatione, ipsis conceduntur, ut ex d. Nov. 4. c. 3. aperte conspici potest.

XVI.

Ad contraria sive repugnantia jam ultimio loco pervenimus, ad quæ referimus omiae illud, quod cessionem in genere impedit, ut totius debiti solutio, si enim debitor ita potens inveniatur, ut solvere paratus sit, cessioni minimè locus esse potest. Dolus quoq; huic Cessioni impedimento est, ubi enim de dolo constat, ibi beneficii locus non est, dolus enim nemini prodest, sed obest l. 63. §. 7. ff. pro socio l. 22. ff. de re judic. uti th. 12. pluribus attigimus.

Mors quoq; ipsius cedere volentis, nullis relictis heredibus, cessioni est contraria l. 1. C. d. O. & A.

Imo & rescripta moratoria ad tempus cessionem suspendunt, ut ex th. 7. fusi patet. Deniq; sunt quorundam locorum statuta, quæ Cessionem bonorum planè excludunt, & potius ex tenore & rigore juris veteris debitorem carceri inclusum retinent, vel ad serviles operas addicunt, donec satis faciat, uti in th. 2. demonstravimus. Sed hic lubet hanc adjicere questionem: Si statuto caveatur, ut debitor, qui solvendo non existit, incarcerari debeat, an propterea Cessionis beneficium excludatur? In Negantium castra transire, & quior sententianos incitavit, quam hac vice defendemus, facit nobiscum Cothm. Vol. 1. responsi jur. 19. n. 3. Brun. q. princ. 3. n. 4. Mey. ad Jus Lubec. l. i t. 3. i n. 12. & seqq.

C

Et

Et hæc pro rarione instituti, ac temporis angustia, de hac nobili  
Cessionis bonorum materia delibasse sufficiant, Ego D E O T. O. M.  
devotas gratias ago, quod hunc meum laborem terminare voluerit,  
cui & me, & studia mea omni tempore devoveo.



## Corollaria.

**P**ermisso non est actio legis.

I.

*Jus naturale fluens ex ratione brutis nullatenus competit, nec mutationem in se recipit.*

2.

*Scriptura non facit ad legis esse.*

3.

*Patria Potestas est juris civilis.*

4.

*Extraneus pater adoptans habet potestatem in filio adoptive.*

5.

*Minor absq; curatore contrabens, si lesus fuerit, gaudet beneficio restitutionis in integrum.*

6.

*Bonæ fidei possessor tam naturales, quam industriales fructus percipiendo facit suos irrevocabiliter, si modo titulum sua possessionis habeat justum ac validum.*

7.

*Sinus heres &que ac extraneus titulo pro herede usucapit.*

8. 9. *Filio*

9.  
*Filio ex heredato nepos ex sua persona, ad querelam in officiose  
testamenti non admittitur.*

10.  
*Obligatio recte juri rerum adscribitur.*

11.  
*Naturalis obligatio impedit indebiti condictio nem.*

12.  
*In Contractu nominato est quoq[ue] causa.*

13.  
*Constitutum est pactum legitimus.*

14.  
*Non statim posito furto, ponitur actio furti.*

15.  
*Quedam actiones praetoriae sunt perpetuae ut civiles.*

16.  
*Dantur actiones mixtae, in quibus Iudex rem alteri facit pro  
priam.*

\* \* \* \* \* : \* \* \* \* \* ? \* \* \* \*  
**C**Edite Pierides celebrandam cedite laurum  
ROBBIGIO, quem Phæbus amat, quem juris & equi  
Custos ipsa Themis sacra to pectore mulcit.  
Rumpere non tentat Bancum, nec cedere rebus  
Sed cedentis jura docet durumq[ue] levamen:  
Ut cedat nulli Doctorum pulpita scandit,  
Talem se præstans nulli qui cedere novit;  
Scilicet ad culmen laudis virtute laborat,  
Quo nunc ex animo felicia dirigo vota.

Nobiliae Praeclaro Domino Respondenti, populari  
suo singulariter dilecto  
gratulatur  
**P R A E S E S .**

DE






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn732603692/phys\\_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732603692/phys_0023)

DFG





9.  
os ex sua persona, ad querelam in officio  
mittitur.

10.  
erum adscribitur.

11.  
impedit indebiti con dictio nem.

12.  
ito est quo<sup>z</sup> causa.

13.  
m legiti mu m.

14.  
to, ponitur actio furti.

15.  
ratoria sunt perpetuae ut civiles.

16.  
cta, in quibus iudex rem alteri facit pro-

\* \* \* \* \* \* \* \* ? \* \* \* \*  
elebrandam cedite laurum  
in Phœbus amat, quem juris & equi  
sacrato pectore mulcet.  
Bancum, nec cedere rebus  
cet durumq; levamen:  
rum pulpita scandit,  
ulli qui cedere novit;  
audis virtute laborat,  
ofelia dirigo vota.

bili ac Præclaro Domino Respondenti populari  
suo singulariter dilecto  
gratulatur

PRÆSES .

